Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars prima - Cod. Aug. perg. 22

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Schmuckinitialen

urn:nbn:de:bsz:31-41594

Visual Library

ad faciendum vestes quandoque. Non enim est deus loquentem et audientem deum loquentem non lucratur. Et item quicquid requiritur ad salutem totum iam adimpletum est in scripturis. Et ignarus est invenit ibi quod discat. Qui contumax est et peccator invenit ibi futuri iudicii flagella que timeat. Qui laborat invenit ibi glorias promissionis vite perpetue quas manducando amplius excitatur ad opera. Et pusillanimis est et infirmus invenit ibi mediocres iustitie cibos, que et si pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est et fidelis invenit ibi spiritualiores escas contemplationis vite que perducant eum prope ad angelorum naturam. Qui percussus a diabolo vulneratus est in peccatis invenit ibi medicinales cibos qui eum per penitentiam reparent ad salutem. Hec Crisostomus. Secundum Bedam: Fuit non olim hiis qui credere potuerunt verum iudicans quod credere noluerunt sit evangelizatum. Ipsi enim scire cuius universe vie sunt misericordia et veritas. Et secundum Augustinum: alio modo iuste dampnat malos, alio modo iuste parcit malis. Nam cum dampnat malos iustum est quia illorum meritis convenit. Cum vero parcit malis iustum est non quia illorum meritis, sed quia bonitati sue condecens est. Parcendo quidem malis iustus est secundum se et misericors secundum nos, non secundum se; non enim ideo est misericors quia miserorum corde beatur, sed quia tamen miseros cor pietatis impendit. Cum et secundum Augustinum cuius vult miseretur non iustitia sed gratia, quem vult obdurat non iniquitate sed veritate vindicte. Sic tamen misericordia et veritas obviant sibi ut nec misericordia impediat veritatem qua plectitur dignus, nec veritas misericordiam qua liberatur indignus. Deus quidem ab eterno sciens conditionem hominum malam futuram, et quia nec sola scientia possent salvari, nec sola misericordia pervenire ad perfectum meritorum, decrevit quod in utroque tempore predicandum esset, utrique primitus suo iudicio in naturali lege, que dicit in corde: quod tibi fieri non vis alii non feceris. Et quia naturalis lex obsorpsit consuetudine peccandi, predicata est lex que refrenaret peccantes. Et quia item homo non se per legis scientiam cohibebat, immo per mandatum reus tenebatur, predicata est misericordia que salvaret confugientes ad eam et excitaret refutantes. Immittens gentes ad promissionem iudeorum ut ipsi iudei saltem emulatione zelarentur convertentur. Et hec est altitudo consilii dei que mira prudentia iudeos et gentiles ducit ad vitam quam perdiderunt in adam. Oratio

Domine Iesu Christe qui nos verbo et exemplo provocasti ad dolendum pro peccatis et exultandum pro spiritualibus bonis, da michi contritum lacrimarum et sitim cordis mei ardentem in igne celesti scintilla, ut plangam me cotidie in omni vita mea, ita ut efficiantur michi lacrime mee panes die ac nocte, et mens mea oblita vanitatis et miserie ardeat in tuo amore, ita ut saltem et ad bona opera et laudes dei assurgendo michi exultet in spe, et tandem semper te laudando tecum gaudeam sine fine. Amen. De reversione apostolorum ac missione et reversione lxxii discipulorum

Revertentes autem apostoli de predicatione ad Iesum nunciaverunt ei que docuerunt predicando et fecerunt miracula operando, respondentes quod mandatum eius fideliter fuerit executum, et gratias referentes super hiis que acceperunt. Veniunt apostoli ad Iesum tamquam ad fontem, ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant. Ibant enim alia de quiete contemplationis ad laborem actionis et revertebantur iterum ad quietem contemplationis. Et compaciendo eis de laboribus suis duxit eos seorsum in desertum locum ut post laborem quiescerent pusillum, segregati a tumultu populorum, et ut se recolligerent in oratione sicut dispersi fuerant in predicatione. Nec enim spacium edendi habebant pre turbis que veniebant et redibant. Unde Beda: Ubi magna temporis illius felicitas de labore docentium simul et discentium studio demonstratur. Que utinam in nostro evo rediret ut tanta ministris verbi frequentia fidelium insisteret auditorum que nec liberum eis curandi corporis spacium concederet. Nam quibus nunc curandi corporis hora negatur quanto minus illecebris anime sive carnis satisfaciendi facultas adest. Cum porro hiis a quibus verbum fidei et salutis ministerium opportune importune exigitur, horum animus consequitur ad agendum semper et contemplanda celestia succedit, ne ea que verbis docet factis impugnet. Hec Beda. Christus autem secum hominem seorsum ducit dominus quos elegit, ut inter malos viventes mala non intenderent. Et bene dicit ut quiescerent pusillum, quia pusilla requies est hic sanctis et labor magnus, sed post ea dicetur eis ut requiescant a laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. Unde dicit Gregorius: quanto tunc maior requies erit quanto modo ob adventum conditionis sui requies nulla fuit. Et est intelligendum